

Erasmus Roterodamus: Adolescentis et scorti

Lucretia, Sophronius.

Lu. Euge mi lepidissime Sophroni, tandem nobis redditus es? Nam mihi videris abfuisse saeculum. Prima fronte vix te agnoscebam.

So. Quam ob rem, mea Lucretia?

Lu. Quia pro imberbi¹ nobis rediisti barbatulus. Quid rei est, meum corculum? Nam videre solito torvior.²

So. Cupio tecum seorsim colloqui familiarius.

Lu. Au, au, non solae sumus, mea mentula?³

So. Secedamus in locum secretiorem.

Lu. Age concedamus in cubiculum interius, si quid libet.

So. Nondum hic locus mihi videtur satis secretus.

Lu. Unde iste novus pudor? Est mihi museion,⁴ ubi repono mundum meum, locus adeo obscurus, ut vix ego te visura sim, aut tu me.

So. Circumspice rimas⁵ omnes.

Lu. Rima nulla est.

So. Nullus est in propinquo, qui nos exaudiat?

Lu. Ne musca quidem, mea lux. Quid cunctaris?⁶

So. Fallemus heic oculos Dei?

Lu. Nequaquam: ille perspicit omnia.

So. Et angelorum?

Lu. Illorum oculos non licet effugere.

So. Qui fit igitur, ut non pudeat homines id facere coram oculis Dei ac testibus sanctis angelis, quod puderet facere in conspectu hominum?

Lu. Quid hoc novae rei est? venisti huc concionaturus? indue cucullam⁷ Franciscanam, conscende suggestum⁸ et audiamus te, barbatule.

So. Nec istud graverer facere, si te queam ab isto vitae genere revocare, non solum turpissimo, verum etiam miserrimo.

Lu. Quam ob rem, o bone? victus alicunde parandus est: sua quemque alit ars; hoc est nostrum opificium, hic fundus⁹ noster.

So. Optarim, mea Lucretia, ut excussa paulisper ista animi temulentia,¹⁰ rem ipsam mecum consideres.

Lu. Serva concionem tuam in aliud tempus; nunc vivamus, mi Sophroni.

So. Tu quaestus gratia facis quidquid facis.

Lu. Non multum aberrasti a scopo.¹¹

So. Nihil decedet tuo lucro; dabo quadruplum, ut auscultes tantum.

Lu. Dic quae voles.

¹ imberbis] ab *in et *barba componitur hic et haec imberbis et hoc imberbe, sine barba, nondum barbatus

² torvus] crudelis, terribilis, vultu asper, ferox, iratus seorsim = seorsum, separatim, segregatim, semotim, sequestratim

³ mentula] est membrum virile: videtur esse deminut. menti, a motu enim nomen habet

⁴ musaeion] pro secretiore cubiloc hic dictum

⁵ rima] fissura, speciatim in tabulis male junctis, hiatus tenuis in pariete et aliis rebus, foramen

⁶ cunctari] morari, differre, haerere, dubitare, sive id prudentia, sive inertia fiat

⁷ cuculla] pars vestis a tergo pendens, qua caput tegitur pluviae, vel tempestatis causa

⁸ suggestus] Speciatim ac praecipue est pegma, pulpitem, ex quo in contione verba fiunt ad populum et in castris ad milites

⁹ fundus] hic redditus, nam fructus annuos reddit fundus

¹⁰ temulentia] ebrietas

¹¹ scopus] est signum, quo sagittas dirigimus, translate est finis, propositum

So. Primum illud mihi responde: habesne quae tibi male volunt?

Lu. Non unam.

So. Et quas tu vicissim odisti?

Lu. Ut merentur.

So. Proinde si possis illis facere rem gratam, faceresne?

Lu. Citius miscerem illis toxicum.

So. Atqui cogita nunc, an illis quidquam potueris facere gratius, quam quod vident, te vivere hanc vitam dedecorosam ac miserri-
mam. Quid autem poteris facere molestius iis, qui tibi bene volunt?

Lu. Sic erat fatum meum.

So. Iam quod esse solet omnium difficillimum iis, qui deportantur
in insulas, aut relegantur ad extremos orbis barbaros, hoc tu tibi
tuapte sponte sumpsisti.

Lu. Quidnam est istud?

So. An non sponte renuntiasti omnibus affectibus, Patri, Matri,
fratribus, sororibus, Amitae,¹² Materterae,¹³ caeterisque quoscunque
tibi natura coniunxit? Nam et illos tui pudet, nec tu sustines in illo-
rum venire conspectum.

Lu. Imo feliciter commutavi affectus meos: pro paucis enim nunc
habeo plurimos, quorum tu es unus, mihi fratris loco semper habitus.

So. Mitte iocos, ac rem ipsam, ut habet, expende¹⁴ serio. Quae
tam multos habet amicos, ea nullum habet amicum, mihi crede, Lu-
cretia. Nam qui ad te commeant, non habent te pro amica, sed pro
matula¹⁵ potius. Vide quo te ipsa deieceris, misera. Christus te tam
caram habuit, ut suo sanguine redemerit, ut te coelestis haereditatis
consortem esse voluerit: et tu te facis cloacam publicam, ad quam
commeant quilibet sordidi, impuri, scabiosi, suamque spurcitiam
in te repurgant. Quod si nondum eius leprae contagium, quam vo-
cant scabiem Hispanicam, attigit te, non diu poteris effugere. Quod
si fiat, quid te infelicius, etiamsi caetera essent secunda, puta res et
fama? quid aliud eris, quam vivum cadaver? Matri gravabaris esse
morigera; nunc servis lenae turpissimae. Parentis audire monita
taedebat; hic saepe tibi vapulandum est ab ebriis et insanis scorta-
toribus. Pigebat aliquid operis facere domi, quo victum quaereres; hic
quos tumultus, quae pervigilia sustines!

Lu. Unde nobis hic concionatur novus?

So. Iam mihi et illud fac cogites. Iste formae flos, qui tibi con-
ciliat amatores, brevi defluxerit. Quid tum facies, misera? Quod
sterquilinum¹⁶ te fuerit abiectius? Fies ex meretrice lena. Non om-
nibus contingit ista dignitas: et si contingat, quid sceleratius, aut quid
diabolicae malitiae vicinius?

Lu. Vera sunt, mi Sophroni, propemodum, quae dicis, omnia. Sed
unde tibi ista nova sanctimonia, qui soleas esse nugator omnium
nugacissimus? Nemo te uno frequentius aut intempestivius huc

¹² amita] patris mei soror

¹³ matertera] matris meae soror

¹⁴ expendo] latiore sensu est pendendo

¹⁵ matula] speciatim est vas, quo ex-
cipitur saccatus corpore humor: cujus
matella deminutivum est. Plaut. Most.
2. 1. 39. Jam hercle ego vos pro mat-
ula habebo, nisi mihi matulam datis.
Hieronym. Ep. 117. n. 8. Matulam
portare. Sic Paul. Diac. p. 125. 18.
Matula vas urinae

¹⁶ sterquilinum] receptaculum fimi
et stercoris; Fimus... sunt excrementa
animalium, quibus agri stercorantur.
Stercus est excrementum, quod et lae-
tamen, fimus et quicquid fecundandis
agris usui est: dicitur autem sive de
belluis sive de hominibus

commeabat. Audio, te fuisse Romae.

So. Fui.

Lu. Atqui inde solent redire deteriores. Quo pacto tibi diversum accidit?

So. Dicam: quia non eodem animo modoque Romam adii. Caeteri fere ideo eunt Romam, ut redeant deteriores: et ad eam rem ibi suppetunt affatim¹⁷ occasiones. Ego cum probo viro profectus sum, cuius hortatu pro lagenam libellum mecum attuli, Novum Testamentum ab Erasmo versum.

¹⁷ affatim] satis abunde, large, ampliter

Lu. Ab Erasmo? Aiunt, illum esse sesquihaereticum.

So. Num et huc pervenit illius viri nomen?

Lu. Nullum celebrius apud nos.

So. Vidistin' hominem?

Lu. Nunquam; sed optarim vidisse, de quo tam multa audivi mala.

So. Fortassis a malis.

Lu. Imo a viris reverendis.

So. A quibus?

Lu. Non expedit dicere.

So. Quam ob rem?

Lu. Quia si tu effutires,¹⁸ et res permaneret ad illos, meo quaestui non minima portio decederet.

¹⁸ effutio] proprie est effundo et spectat ad eos, qui silere tacenda nequeunt, aut inaniter temereque loquuntur

So. Ne metue; lapidi dixeris.

So. Admove aurem.

So. Inepta, quid opus est admota aure, cum simus soli? an, ne Deus exaudiat? Pro deum immortalem! video te piam meretricem quae mendicos subleves eleemosyna.

So. At ego ex istis mendicis plus capio lucri, quam ex vobis divitibus.

So. Spoliant matronas bonas, ut effundant in meretrices malas.

Lu. Sed perge de libro.

So. Faciam et praestat. Ibi me docuit Paulus, qui nescit mentiri, quod nec scorta, nec scortatores regni coelestis haereditatem consequentur. Hoc ubi legissem, sic coepi cogitare apud me: modica res est, quam expecto ex haereditate paterna; et tamen malim renuntiare scortis omnibus, quam a Patre exhaeredari: quanto magis cavendum est, ne me exhaeredet Pater coelestis? Et adversus exhaeredantem aut abdicantem Patrem aliquod praesidium porrigunt humanae leges: adversus exhaeredantem Deum nihil est suffragii. Itaque mihi protinus interdixi omnem scortorum usum.

Lu. Si quidem possis continere.

So. Bona continentiae pars est, ex animo continentem esse velle. Postremo superest extremum mali remedium, uxor. Romae in poenitentiarum sinum totum Augiaie stabulum effudi: is multis prudenter

hortatus ad puritatem animi et corporis, ad sacram lectionem, ad crebras preces, ad vitae sobrietatem, pro poena nihil aliud indixit, quam ut flexis genibus ad summum altarem dicerem psalmum, Miserere mei deus: et, si mihi suppeteret pecunia, darem egenti cuiquam, Carolinum unum. Admiranti mihi quod pro tot scortationibus tantillum poenae infligeret, satis facete respondit: *Filii, inquit, si vere poenitet, si vitam commutas, nihil moror poenam: sin perges, ipsa libido tandem abs te plus satis poenarum exiget, etiamsi sacerdos non indicat. Me vide lippum,¹⁹ tremulum,²⁰ incurvum: at olim talis eram, qualem te hactenus fuisse praedicas. Sic ego resipui.²¹*

Lu. Ergo, ut video, perdidisti meum Sophronium.

So. Imo lucrifecisti. Nam ante perierat, nec sibi amicus, nec tibi. Is nunc te vere amat, ac tuam sitit salutem.

Lu. Quid igitur suades, mi Sophroni?

So. Ut quamprimum te subducas ab ista vita. Adhuc puella es, quod contractum est labis,²² potest elui. Aut nube marito; nos aliquid ad dotem conferemus: aut confer te in collegium aliquod sacrum, quod lapsas recipit: aut commutato loco dedas te in familiam alicuius honestae matronae. Ad horum quodlibet offero tibi operam meam.

Lu. Amabo te, mi Sophroni, circumspicito, sequar tuum consilium.

So. Sed interim hinc te submoveto.

Lu. Hui tam cito?

So. Cur non potius hodie quam cras, si dilatio damnum habet, mora periculum?

Lu. Quo me vertam?

So. Colliges omnem mundum tuum; eum trades mihi vesperi: famulus clam deferet ad fidelem matronam: aliquanto post ego te producam, veluti deambulandi gratia: apud eam matronam latitabis meo sumptu, donec tibi prospexero, id fiet brevi.

Lu. Age mi Sophroni, trado me totam in tuam fidem.

So. Gaudebis olim facto.

Retro

¹⁹ lippus] oculos habens lacrimantes

²⁰ tremulus] tremens

²¹ resipio] saepe transfertur ad moralia, et est ad priorem mentis statum, vel ad meliorem mentem redire, resipiscere

²² labes] A) Abstracte est lapsus, casus, ruina; et B) Concreto, uti ajunt, sensu est macula, sordes, illuvies.